ORATIO HABITA A IO. VAZ MOTTA OLISYPPONENSI, IN GYMNASIO ROMANO INITIO...

Joao Vaz da Mota

Digitized by Google

ORATIO HABITA A IOAN. VAZ MOTTA OLISYPPONENSI IN GYMNASIO ROMANO INITIO PROFESSIONIS SVÆ

DIE V. NOVEMB. M. D. LXXXIV.

QVA mihi die à Sanctiſſimo, atq; optimo Pontifice Gregorio Decimotertio prælegendi publice hoc de loco, & profitendi eas litteras, quæ quia nullæ magis hominū mētes illuſtreis, manſuetasq; reddant; et ad vniuerſum ſplendorē, ac Iocunditatē vitæ, adq; res alias omnes habiles efficiant, & accommodatas, nuncupari humaniores conſueuerunt, demandata prouincia eſt: ea ipſa ego in immenſas adeo me, atq; inextricabilis difficultatis, inq; ambages eas compulſum vidi; vt ab ijs, neq; quomodo euadere ipſe ſine contumelia poſſem; nec quæ futura eſſent alijs eò coniectis euadendi conſilia, cogitationes, adiumenta, præſidia facile perſpicerē. Nam, vt eorum aliqua explicē, & percenſeam, quæ tunc animum meum perculere, & vero nunc etiam concutiunt, percelluntq;, occurrit ſtatim, & obuerſatur oculis, cum ingenio mihi meo, atq; eruditione, exiguo vtroq;, & pene nullo ſeueram prorſus, & exactam eſſe rationem ineundum: eorumq; poſt diuturnam, ſi minus deſidiam, & otium; à publico tamen ceſſationem, poſtq; labores eos, & vigilias, quæ in vmbra, domoq; conceptæ vmbræ tantum, atq; domui deſeruirent, & nullo ſolis, nullo eſſent pulueris, nullo frequentiæ, nullo oculorum, nullo audientium periculo comprobatæ, periculum faciendum. Faciendum vero hoc in loco, ideſt in lectiſſimo oculo Italiæ; ideſt Romæ; ideſt in totius elegantiæ domicilio; ideſt in ampliſſimo, vetuſtiſſimoq; Theatro orbis terrarum; ideſt ea in vrbe, quæ ſummorum ingeniorum altrix ſemper, atq; parens fæcundiſſima; quæ ſedes, & receptaculum vniuerſæ liberalioris diſciplinæ; quæ conſeruatrix, & excultrix optimarum artium; quæ vt orbis Domina, atq; Imperatrix; ita etiam earum rerum omnium, quæ ad litterarum ſtudia ſpectant, Iudex, fuit ſemper ſincera quidem, & incorrupta, ſed cum primis ſeueriſſima. Nam, quid obtundam ego vos minime neceſſaria oratione, aut quid antiquorum temporum memoriam omnibus plane notā repetere altius coner: perq; maiorum veſtrorum clariſſimas imagines per illuſtreis omni ætate viros, per fundatores, amplificatoresq; vrbis rerum Dominæ, per vindices, & Conſeruatores populi gentium principis, ceu male feriatus homo otioſus expatier, ſingula percurram virtutum momenta; non earum quidem, quæ belli, armorumq; periculis comparatæ æternum nomen huic patriæ, atq; illuſtrē peperere: ſed quæ ab ingeniorum commēdatione, ab optimarum diſciplinarum ſtudijs, ab eruditionis, literarumq; ornamētis expetitæ, eas omnes, quæ conſpicuæ in his nationibus, inſignêsq; erant, quas manu illa, armisq; deuicerat ſuo longe fulgore ſupera-

ſuperarunt. Notiſſima ſunt hæc, notiſſima; quæq́; cogitatione vix comprehendi; oratione certe, atq; verbis explicari nullo modo poſſunt. Aſpirare vero ad illa quemquam, paupertatemq́;, & inopiam ſuam in ditiſſimo, admirabiliumq́; ſemper rerum feraciſſimo ſeminario traducere quodammodo velle, irridendamq́; proponere, id vero extremæ demẽtiæ eſt. Nimirum reperietur tam audax, & importunus quiſquã, tamue profligati pudoris, quẽ ſi minus cætera alia, non tamen ipſi hi extremi cineres, ipſa hæc diſſipata quidem, & exeſa, imperioſa tamen oſſa, ipſæ hæ ruinæ permoueant priſcum adhuc imperium, & maieſtatem ſpiranteis. Certe quidem ego quoties in ſemi abſumptum hoc aſpicio Romanæ potentię cadauer in ſe ipſo iacens, inq́; ipſa parente vrbe tamquàm ſepulchro tumulatũ totus commoueor, concutior, contremiſco: inq́; ipſis his ruderibus, obſitisq́; ingenti ſitu priſtinæ venuſtatis reliquijs, in hoc ſquallore, in hoc puluere, marmorum ſane, ædificiorumq; ſegmenta; elaboratum aliquod priſcorum artificum manibus ſignum; vel Coæ Veneris, vel Gnidiæ, vel illius à Zeuxide ad quinq; omnium Virginũ pulcherrimas elaboratæ Crotoniatis Helenæ de marmore forſan in tabulam deriuatum exemplar curioſus, & attentus perueſtigo: ſed multo magis illa olim viua, atq; ſpirantia ſimulacra, illa vrbis ornamenta, principes illos Reipublicæ, Heroas illos omni æuo illuſtreis, per quos imperium hoc ſtetit tota mente, atq; animo perrequiro: illos ſpectare, cum ijs colloqui, eos audire, ipſos colere, & venerari mihi videor. Scilicet hic tu Marce Tulli, hic tu Cato, hic tu Brute; hic tu Cæſar, Cotta, Varro, & Hortenſi; Vosq́; illuſtrium animarum pars reliqua, quorum actiones quidem dum viueretis præclare vix ipſo prorſus Oceano: virtus certè, atq; nomen non niſi Cælo terminata ſunt: hic inquam vos, & cõſtituiſſe Rempublicam, & terrarum orbi dediſſe leges, & humanã vitam per ſe miſeram, & inſuauem ornaſſe moribus, & literis certum eſt; atque vt poeta veſter dixit, hic vixiſſe, atq́; æuum agitaſſe. At dederit hoc nobis tempus, ſitq́; neceſſum ſubſtitui in locum veſtrum nos fecem vltimam, atque extremum effœti iam, & ſeneſcentis mũdi abortum. An propterea obliuiſcar egomet mei, & ingenuitatis meæ, nec cui ſim ſucceſſor datus cõſiderabo. An verò quiſquam Marce Antoni Murete ambire ſine crimine nefario ſucceſſionẽ tuã põt: & quo tu prius loco veſtigia poſuiſti, pedem figere? Reperiantur portenta hominum, nõ homines; labatur in omne nefas natura; liceat quidquidlibet humano ingenio, ſintq; ad perpetuum generis pudorem, infamiamq́; infames mortalitatis partus Phaetontes, & Icari: nihil enim tandem aſſequentur aliud, quàm fulmina, quàm ruinam, quàm ſepulturæ locum nefanda clade nobilitatum, quàm luctũ propinquorum, quàm ſæua truculentaq́; extremæ cladis monumenta. Nobis certe, ſaniores ſunt fauſtioresq́; iudicij ſaltem igniculi, atq́; ita defixis in magnitudinem rerum tuarum oculis, tenuitatis noſtræ nobis conſcij, nec inſanimus, nec temeritate, aut arrogãtia præcipitamur: fatemurq́; ingenue non veniſſe, in hunc locum, quo ſatisfacere vlla ex parte nominis, & gloriæ tuæ ſplendori ſperaremus: Sed poſtquàm impulſu præſertim tuo venimus perhorreſcere, & formidare, perſtringi doctrinæ tuæ luminibus, facibus ingenij ſubmoueri. Caucte enim

 arbitre-

arbitremini reperiri quicquam poſſe illo homine diuinius: Ea eſt in eo ſublimitas ingenij; ea cognitio rerum; ea doctrinæ magnitudo; ea ſuauitas morum; ea humanitatis præſtantia; ea vis eloquentiæ. Sed demens, & inconſideratus ego, qui in laudes irrumpã tuas Marce Antoni; nec videã ſuperare illas humanæ linguę dignitatẽ: adq; ipſas attingendum vnum eſſe te, & ſolũ qui idoneus eßе poſſis. Perterruerunt me hæc duo vehementer (Auditores humaniſſimi) quæ quidẽ mihi cum alijs communia eſſent, ſi modo illi quemadmodum ego difficultatem magis ſpectare, & magnitudinem huius oneris; quàm temerè, & conſiderate imbecillitati ſuæ fidere voluiſſent. Sed tertium illud multo perterruit vehementius, & perterret; quod, & ſolùm, & totum meum eſt, nec vlla mihi ex parte cum reliquis commune: quo videlicet ſanctiſſimi Pontificis, omni æuo memorandi Gregorij ſingularis in me benignitas; amor ſine dubio paternus; & vt verius dicam diuina quædam pietas: ampliſſimorum Cardinalium his ſcholis præfectorum propenſio ſumma, & in me ornando, euehendoq; ſtudium illuſtre: veſtrum omnium fauor maximus, & quod mihi è memoria nunquàm excidet, animorum quædam coniunctio ac veluti conſpiratio: demum eximia quædam, & pontificis ipſius, & ampliſſimorum Cardinalium, & veſtra denique de me, deq; meis ſtudijs expectatio continetur. Et Pontifex quidem cum in vrbem primum veni multis me calamitatibus afflictum, multis non culpæ meæ, ſed temporum ærumnis diuexatũ benigne liberaliterq; excepit, ſumma humanitate fouit, protexitq; nec paßus eſt natum ingenuè, & ſine ſordibus, liberaliterq; educatum hominem; quiq; & probitati, & litterarũ ornamentis, & magnis omnino rebus, magnæq; gloriæ à puero ſtuduiſſet, in miſerijs extremis, atq; extremis malis conſeneſcere. Eſt hæc ſane diuinitas mentis eius, vt benignus in omnes, liberaliſq; ſit: ſed excelſi, illuſtriſq; animi homines, quiq; nati ad magna videantur, & facile agnoſcat; & in ſuam eos tutelam ſuſcipiat; nulla in re non adiuuet, ornet, amplectatur. In demandando autem profeßionis huius munere, quàm illuſtre eius de me, quàm honorificum, quàm conſtans Iudicium fuit? Quam ille opinionem de eruditione mea habuit? quibus eam verbis ſæpius explicauit? qua oratione, quo vultu, quàm pleno maieſtatis, quã diuini numinis me, & ornauit ſimul, & defendit? Illum ego, vt ſacroſanctum religionis caput colui ſemper, & veneratus ſum; colam, & venerabor dum viuam: vt benefactorem ſum admiratus, admirabor: nunc etiam amare, vt patrem, diligereq; compellor; ſitque alia hæc benignitatis eius laus præcipua, vt dominus cum ſit, pater eſſe velit. De gratitudine enim mea promittere quicquam nolo; erit ille mihi ſemper Deus. Quid ampliſſimi Cardinales? quorum, & qui præfecti his ſcholis ſunt; & aliorum plerique quam in me iuuando, fouendo, ornando laborarint, quàm ſe acres defenſores mei præbuerint; quàm honorificè, & ſplẽdidè de eruditione mea ſenſerint, ſermones inter ſe habuerint, apudq; alios, & apud ipſum Pontificem verba fecerint; quàm perſpicue, & ſine fuco in hac prouincia demandanda dignitatem ſibi meam cordi eßе oſtẽderint, quum peruulgatiſſimum ſit, atq; omnibus plane notum nec in dicendi breuitatem, quã mihi hodie propoſui, nec vero in orationis

meæ egeſtatem poteſt cadere, cuius culpa, vt etiam ingenij deratur, eleueturq́.

Vtinam vero, vel vni ſaltem eorum illuſtriſſimo Gulielmo Sirletto, viro ſiue morum ſanctitatem, ſiue doctrinam hoc ſæculo nulli alij conceßam perpendas, cum quouis veterum comparando, & gratitudinem animi mei dicendo explicare, & quàm maximè poſſet ampliſſimis verbis gratias, vti debeo, poßem agere immortaleis. Quæ enim eſt, vel vitæ, vel ſolatij, vel honoris, vel dignitatis, vel exiſtimationis meæ, tam extrema, tamquàm minuta pars, quàm ille nõ iuuerit, non erexerit, non confirmauerit, non fulcierit, non aluerit, non propagarit? fateor quidem, communem eſſe mecum bonis omnibus ſortem iſtam; vt quo quisq́ optimus ſit, & doctiſſimus eo certiſſimum ſibi in illuſtriſſimi huius hominis facultatibus præſidium eſſe ſciat: me tamen vnum ita ab eo præ cæteris dilectum, adiutumq́ video, vt nemini me in terris poſt optimum Pontificem plus debere, libenter, & fatear, & agnoſcam. Tibi vero ſenex optime, & ſanctiſſime (doctiſſimum enim ineptè vocauero eum, quo cum nullus comparari mortalium ſine ſcelere poteſt) tibi Diui Diuæq́ omnes vitam quidem, & ſenectam iſtam bonis omnibus fructuoſam in multos, placidiſſimosq́ annos: famam verò, & nomen in multa ſæcula, atq; adeo in æternitatem omnem a Deo impetrent, & propagent, vt qui latiſſimam tibi in Cælum viam adhuc viuens muniiſti; Et in Cælo ſplendorẽ nominis vaſtum, & illuſtrem comparaſti, poſteris omnibus ætatum omnium, qui veræ laudis erunt cupidi, & præclara, quibus inſiſtant, veſtigia, & perpetua relinquas monumenta, atque æternitatem gloriæ, quibus inflammentur.

Sed quæ tam eße illuſtris poterit, ac tam magnifica orationis meæ pars, quæ conuerti ad vos auditores debeat; & præclara veſtra in me, ac immortalia beneficia recenſere. Ego quoties in dignitatem, amplitudinemq; huius loci, atque muneris intuebar; perſpiciebam facile reperiri in eo præclariſſima ornamenta vitæ; multa etiam, & honoris, & tranquillitatis animi ſubſidia: ſed ſi animorum veſtrorum, ſi totius vrbis conſenſio, ſi beneuolentia defuiſſet: ita mecum de his ſtatuebam, vt non ſolum mihi non appetenda, nec magnopere procuranda: ſed permoleſta etiam, grauia, triſtia, iniocunda, inſuauia, peracerba viderentur. Effeciſtis vos ne vnum id mihi deeſſet, atq; ita effeciſtis, vt beneficij veſtri monimentum nullibi, ſine præclariſſimis gloriæ meæ, atq́ illuſtribus monimentis ſpectari poſſit. Dicam enim libere, nec quẽquam arbitror futurum, tam rerum omnium imperitum, qui arrogantius me dicere exiſtimet, prius mihi beneficio veſtro delegatam hanc prouinciam fuiſſe, quam ipſe eam ego vel optaſſem, vel petiſſem. Poſtridie enim eius diei, qua M. Antonius vir Immortalitate dignus vacationem à Pontifice honorificentiſſimam impetrauit; quum eum manè ad Capranicæ in via offendiſſem, actaq́ is mihi elapſæ diei retuliſſet, veni de cõſilio ipſius ad Illuſtriſſimum Sirletũ, nec tam, vt munus ipſum depoſcerem; quàm, vt cũ more meo, quid faciendũ mihi arbitraretur conſulerẽ. Ea die ſanctiſſimus ille ſenex vocem illam emiſit honorificã mihi ſemper, atq; glorioſam eſſe quoque in Gregorianorum temporum felicitate reponendum, qua tempeſtate vir Clariſſimus locũ iſtum præſentia, & auctoritate ſua orbum reliquiſſet,

me

*me in vrbe reperiri, qui orbitatis eius acerbitatem poſſem, luctumq́ detergere.
Temporis hæc momento tranſacta ſunt, quumque à meridie domo exirem; nec
quicquam tale cogitarem gratulationes vndiq́, & prenſationes hominum offen
do; quas dum agnoſcere non audeo, quippe, qui nihil dum, vel ad pontificem re-
tuliſſem; vel ita ſtatuiſſem cum aliquo, vt habere certi quicquam poſſem; inſta-
re vehementius omnes, alacrius gratulari, vultu, oculis, ſpecie, verbis lætitiam
præferre; nihil denique prætermittere, quod ſignificare, ac prætendere, & Iocun-
ditatem, & ardorem animorum, quoquo modo potuiſset. Creuere à prima illa die
huiuſmodi officia: nec iam pauci, aut obſcuri, ſed plurimi, ſed clariſſimi, ſed vt
quiſq́ vel optimus, vel doctiſſimus, ita mihi gratulari, vt in vna illa re, & pro-
bitatis, & doctrinæ ſuæ certiſſimum teſtimonium eſſe poſse arbitraretur. Pati-
mini, patimini auditores, tenerum quodammodo, & delicatum eſse animum, in
eo homine, in quo non multis ſolum literis, ſeueriſſimaq́ philoſophię parte excul
to, ſed multorum etiam laborum, ſed belli armorumq́ periculis comprobato tri
ſtis eſſe animus, ſeuerusq́ debuerat: patimini emolliri, frangiq; tantiſper me,
& gloria mea, non recordatione; non ſpe, non voto, ſed præſentia ipſa, ſed fru-
ctu fruitioneq́ lætari. Tamne ego eſſem ruſticus, tamne barbarus, & immanis,
vt nõ commouerer, quum totius in me Romæ ſtudia vidiſsem? quum nullus eſset
vllius ætatis, conditionis, ordinis: nullus vel in tanto dignitatis, ſplendoriſq; fa-
ſtigio collocatus; vel in tam calamitoſam deploratamq́ fortunam depreſsus:
Nullus vel tam occupatus negotioſusq́, vel tam otioſus, & diſſolutus: nullus
vel tam auidus gloriæ, atq; nominiſ; vel tam eius contemptor, & inimicus: nullus
vel tam excultus doctrina, & literis; vel tam impolitus, & barbarus, qui mihi
non gratularetur, in ore me, in oculis, in ſermonibus non haberet. Me ætates om
nes, me omnes ordines, me integræ, vniuerſæq́ nationes, me præclariſſima terra-
rum orbis pignora non ſolum officijs, commendatione, verbis; ſed humeris pene
ſuis in hanc iſtam ſedem, atq; in hunc locũ detulere. Me Itali, me Romani mei,
me Galli, me Angli, me Germani, me Sarmatæ, & Poloni, me Græci, me Babilo-
nij, & Chaldæi, ſed quid ego ſingulos? omnes enim hos, & plures alios non in
vrbe ſolum, ſed in hac ipſa Corona, conſeſsuq́ video dignum eſse cenſuere, qui,
& tanto, ac tali viro ſubſtituerer; & à quo ſibi cultus ingenij, atq; ornamenta
traderentur. Scio ego maiores veſtros clariſſimos viros nihil ſibi in vita Iocun-
dius euenire, ac lætius Iudicaſse, quam quum deuictis, profligatiſq́ hoſtibus ſub
limes curru in Capitolium atq; in illam arcem florentiſſimi imperij triumphan
tes veherẽtur. Mihi vero non iocundum, glorioſumq́ exiſtimem in illa ipſa pul
cherrima vrbe ſummo vniuerſæ ipſius vrbis ſtudio, conſenſuq́ à clariſſimis, for
tiſſimiſq́ nationibus in hanc omnis humanitatis, & literarum arcem tanta cũ,
& tam ſincera lætitia, atq; exultatione omnium deductum eſſe. Triumphus mi
hi vnus iſte eſt omnium pulcherrimus; hic ipſe ſuggeſtus currus Triumphalis;
veſter hic conſpectus, & corona omnia eſſe poteſt, quæ vel ad dignitatem, & am
plitudinem vel ad lætitiam, Iocunditatemq́ excogitari, atq; optari poſsunt. Sal-
vete propagatores nominis mei, præcones gloriæ, vindices dignitatis, conſeruato*

*res vitæ, amplificatores exiſtimationis,duces amplitudinis, auctores quietis, p-
pugnatores fortunarũ. Perſiſtite in egregia voluntate iſta;defendite,ornate,tue-
mini, amplificate,diligite,euehite,quem ornare ſemel,tueri,defendere,amplifica
re,diligere,euehere incepiſtis. Salue,& tu mihi Roma mea,(te enim pulcherri
ma puella Græcis carminibus in orationem meam deriuatis lubet appellare)
ſalue multũ Roma mea,Martis filia,aurea corona ſplendens, ſapientiſſima re-
gina;quæ Cœlum ipſum exhibes in terris,cuius imperiũ,nec hominum,nec tem-
poris labefactari viribus poteſt;Salue Roma mea, ac ſi maieſtas, & amplitu-
do tua humani ingenij ornamenta non deſpicit,à me vno tuam in laudem,quic-
quid, & à literis, & ab ingeniorum fructibus fas eſt expectari, id expectato,*

*Perſtrinxi (Auditores) quam potui breuiſſime, & Pontificis optimi,& Illu
ſtriſſimorum Cardinalium,& veſtrum omnium in me beneficia, deque me ex-
pectationem: quæ quidem,quo ſunt illuſtriora, grauioraq́;,eo maiorem mihi dif-
ficultatem pariũt vlla ex parte,vel horum omnium in me meritis, vel expecta-
tioni tantæ ſatisfaciendi.Nam,& illud ipſum grauiſſimum de me Iudicium per
ſe ſatis eſt ad res magnas depoſcendum;& vero in ingenuo gratoq́; homine ni-
hil habere vim maiorem,quam habeant beneficià,conſueuit. Accedit,quod,&
initio dixi,ingenium nullum,eruditio,per exigua,loci huius,atq; adeo vrbis am
plitudo,& ſplendor; eius viri, cui ſubſtituor facultas,& ornamenta,quibus om
nibus rebus obrutus,& oppreſſus,conuictus nihilominus ad aliquid præſtandũ
iudicio,& expectatione bõium,nullũ omnino,locũ in quem poſſim confugere,vi-
deo,quam humanitatem veſtram. Id vnum mihi cum ſit reliquum præſidij,per
eam ego vos precor; obteſtorq́;,beneuolentia mihi,vt adſitis ea, eoq; ſtudio,qui-
bus euehendum ad hoc munus cenſuiſtis. Si mecum non agatur ſummo Iure;ſi
non quid vires,ingeniumq; poſſit attendatur;ſi vna ſit propoſita veſtra benigni
tas, veſterq́; fauor; tũ vero, & tueri difficilem hanc prouinciam,& reſpondere
quoquo modo concitatæ de me opinioni poſſe videbor. Ipſe quidem naturæ do-
tes,aut ingenij bonitatem nec afferre,nec præſtare poſſum; illud, quod poſſum
afferam,præſtaboq́; ſtudium,diligentiam & induſtriam; tum ſi quid laborando
quiſquã poteſt indipiſci multorũ annorũ literarios labores, eoſq; plane indefeſ-
ſos,multarum noctium vigilias,multarum lucubrationum fuliginem, multæ le-
ctionis ſtudium, multarum literarum tractationem. Addam his eximium, &
perpetuum in vos amorẽ; addam veſtrorum in me meritorum memoriam ſem-
piternam;addam pietatem animi in hanc vrbem ſingularem; addam in eos om-
nes,qui bene de me ſunt meriti,beneq; merebuntur religioſum penè cultum,atq;
obſeruantiam;addam in tuenda huius loci dignitate ſtudium ſummum, & im-
menſum, daboq́; operam,ne à me quicquam deſideretur, quod præſtari à dili-
genti poſſe, induſtriaq́; homine cenſeatur. Eloquentiam quidem, quæ præcipua
pars eſt huius functionis ita tractabo;vt eſſe apud vos breui tempore ſentia-
tis; & à philoſophia eam, ſiue illa ſit, quæ ad mores,ſiue quæ ad naturam ſpe-
ctat, ſiue etiam, quæ ad Deum non diſiungam. Interim, & dialecticen vobis
vniuerſam cum rhetorice ſimul oſtendam; & quibus locis occaſio tulerit natu-*

ralis,

*ralis,& Ciuilis iuris fontes aperiam; vt qui id olim tanto nomine,tantaq́ expe
ctatione,quantã nullus fortaſſe vnquã ne optare quidẽ auſus eſt,profeſſus ſum;
vobis,& minime me indignũ ea tunc cõmendatione fuiße probare poſſim,& eũ
ſimul artem tradam,quæ ad illud perfacile per iocundeq; diſcendum, cum pri-
mis eſt accommodata. Quoties autem,vel de Theologia,vel de medica faculta
te,vel de mathematicis diſciplinis, quicquam erit diſputandum; tum vero, &
& antiquiſſimos patres relligionis noſtræ; & eruditiſſimos priſcæ ætatis medi-
cos;& præſtantiſſimos quosq; mathematum ſcriptores adhibebo; in quibus, vt
in his,quæ ex varia erunt,& multiplici lectione repetenda,ita me geram,vt in
Græcis,& Latinis ſcriptoribus curioſum,& attentum hominem agnoſcatis;eaq́
omnia quanquam ingenio minus, & viribus ſperem aſſequi, labore tamen, &
induſtria temporis præteriti, perpetuoq́ in vos amore,nec expetere,nec tentare
recuſabo. In præſentia Marcum Tullium, in quo vno explicando præſtari hæc
omnia poßunt, atq́ eius eos præſertim libros aggrediar; qui vt difficilimi, ita
nullius ad hanc diem docti hominis ſcriptione ſunt,commẽtarijsq́ tentati,quiq́
de diuinatione inſcribuntur. De quibus cum multa prius dicenda viderentur,
multa etiam de modo eo, atq; ordine, quem in prælegendo obſeruabo, quæ dici
hodie non poſſent,quin vos plus æquo detinerem; conſtitui diebus nonnullis prio
ris libri proœmio abſoluto in initio ipſius libri alia de his rebus omnibus, deque
diuinationis materiã, oratione diſputare.Nunc vt vobis,qui tanta huc alacrita
te cõueniſtis prælectionum mearum guſtum aliquem præbere poſſim, explicabo
aliquid ex proœmio,ſed breuiſſime, ne vos morer. A vobis peto, vt qui tam pa-
tienter,& beneuole me hucuſq; audiuiſtis,breuiſſimam nunc diſputationem,&
fortaſſe non iniocundam,attente,vt reliqua & patienter audiatis.*

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE